

D. A. G.
DISSERTATIONIS ACADEMICÆ,
DE
OFFICIO
ORATORIS SACRI
IN
ARGUMENTIS DISPONENDIS,
PARTICULA PRIOR;

QUAM
CONSENSU AMPL. SENAT. PHILOS. IN REG.
ACAD. ABOËNSI,
PRÆSIDE
MAG. HENRICO GABRIELE
PORTHAN,

ELOQUENTIÆ PROFESSORE REG. ET ORB.

Publice examinandam s̄itit
JOHANNES UTTER,
Satacundensis.

In AUDITORIO MAJORI Die Novembris
An MDCCCLXXX.

H. A. M. C.

ABOÆ,
Impressa apud Viduam Reg. Acad. Typ. J. C. FRENCKELL.

VIRO

Maxime Reverendo atque Celeberrimo,

D:no JOHANNI PIHLMAN,

S. S. Theol. Doctori, Ecclesiarum quæ DEO in Euraåminne & Luvia colliguntur Pastori ac Præposito, gravissimo.

VIRO

Plurimum Reverendo atque Præclarissimo,

**D:no Mag. FRIDERICO REGIN.
BRANDER,**

Rectori Scholæ Trivialis Björneburgensis meritissimo.

PATRONIS BENIGNISSIMIS.

*M*emoriam benevolentie illius maximæ, quam olim institutio-
nitis VESTRÆ præclaræ alumnus expertus sum, si cole-
re unquam desinerem, ingratissimi sane animi reum memet
redderem: cuius ut vel minimam fugerem suspicionem, men-
tisque affectui obtemperarem, primam hanc arripui, quæ se-
se mibi obtulit, publice eundem declarandi occasionem, VE-
STRISQUE, PATRONI BENIGNISSIMI, NOMINIBUS dissertationem
hanc Academicam consecrandam duxi. Interpretemini beni-
gne hoc consilium meum; & munusculum faventer excipiat-
is. In votis pro VESTRA incolumente fundendis candidissi-
mis, nunquam defuturum me reperiatis, qui animo ad diem
usque supremum VOBIS devotissimo, sum permanfurus.

NOMINUM VESTRORUM

Cultor humillimus

JOHANNES UTTER.

*VIRO Plurimum Reverendo,
D:no JOHANNI UTTER,*

Sacellano Ecclesiarum quæ DEO in Tyrvis & Kiika col-
liguntur vigilantissimo,

PATRI INDULGENTISSIMO.

VIRO Praeclarissimo

D:no Mag. ELIÆ UTTER,

Collegæ ad Scholam Trivialem Björneburgensem
diligentissimo,

PATRUO PROPENSISSIMO.

VESTRA in me beneficia paterna, publice celebranda, meum-
que in Vos animum obstrictissimum explicandum si su-
sciperem, majora conarer, quam quæ a me litteris verbis-
que exprimi possint. Quid enim a Parente amantissimo pro-
ficiisci potest, quo me PATER OPTIME non cumulasti? Quam
curam, quos labores, PATRUE PROPENSISSIME in studia mea
promovenda non infusisti? qui me literarum discendarum iter
ingressum, manibus quasi duxisti, curasque Patris Indulgen-
tissimi benigne levasti, ac illas nonnunquam in Te totas su-
scipisti. Hunc igitur ingeniali fætum, fructum operæ VE-
STRAE adbuc tenerum, ut documentum gratissimi mei animi
respiaciatis, quæso obtestorque. Ut Summum Numen VOS per-
petuo sospites servet, votorum meorum erit summa: nihilque
diligentius agam, quam ut VOBIS ostendam quanta pietate
sum futurus, VOBIS

PATER INDULGENTISSIME,
PATRUE PROPENSISSIME,

Devotissimus filius & cultor
JOHANNES UTTER.



§. I.

Ut collecta licet copia vel exquisitissimæ materiæ, adfiscium tamen nullum evadit, nisi structura accedat diligens; nec quantumvis magna conducta militum turba in aciem sapienter educitur, nisi illis exercendis armandisque summum adhibitum fuerit studium: ita Orationi quoque non sufficit multa collegisse argumenta, etiam præclarissima, nisi justo ordine illa disponere ac collicare, sciteque & prudenter singula deinde tractare, simul valuerit. Alias nihil nisi chaos quoddam ineptum, insulsum & absonum congesferit. Bene igitur **QUINTILIANUS** *Instit. Orat. Cap. I.* *Cogitandum est inquit primum quicquid dici potest, tum ex his, quo quidque loco dici expeditat, ordinandum.* Sæpe tamen audias, qui dicant, orationes Sacras pio modo affectu & mente habitas, minus licet diligenter structas, prodeesse tamen auditoribus, & sensus excitare religiosos: sed hi non cogitant, istam arenam sine calce non posse inhærere animali, qui acervo idearum confunduntur, quarum una alteram trudit: unde nec mens, stupefacta magis quam educta, ad unum aut certum aliquod impellitur. Cognitio quæ notionum & propositionum connexarum quasi & concatenatarum seriem non continet, neque firma est neque fructuosa. Oratio contra bene ac scite disposita, facilius & mente percipitur & memoria tenetur. Majori cum delectatione, adeoque etiam acriori attentione auditur; unum argumentum naturali quodam nexu adjunctum alteri, & una idea

idea ab altera quasi adducta & corroborata, non possunt non
altius penetrare in animos, errores efficacius inde evellere,
mentes gravius, constantius, vehementius concutere; ver-
bo, oratori victoriam comparare. Quod cum nemini debeat
esse diligentius, quam Sacris Oratoribus, propositum;
haud inconsultum esse duximus, in hoc tanti momenti
illorum officio curatius considerando, in hac arte pru-
dentiaque persequenda, ingenii vires periclitari. Quod
vero consilium nihil requirit ultra, quam ut præceptis
Rhetorum hoc de argumento adoptatis, eadem §. quo-
que orationibus esse doceamus apta, vitia quædam con-
traria reprehendamus, monitaque nonnulla, ad harum
rationem propius accommodata, ubi res postulaverit,
interspergamus. Tuæ autem humanitati B. L. confisi,
mitiorem juvenilium conatuum exspectamus censuram.

§. II.

Ordo quem Orator Sacer in argumentis suis di-
sponendis observare debet, duplex est: *Logicus* pri-
mum, idem qui in quounque scripto aut disputatione
necessarius est. Ratio enim quædam ubique adsit com-
moda oportet, cur hæc sententia huic subjiciatur, hoc
argumentum, hæc propositio antecedat aut sequatur il-
lam; partes singulæ operis nexæ & revinctæ scite inter
se sint, & unum aliquod totum constituant. Deficiente
hujusmodi ordine ac nexus, omnis etiam exsulat vis tam
docendi quam persuadendi: nec quo tendat, vel quid
dicere velit orator, conjectura fieri potest. Scopas dis-
solutas, verba sententiasque non cohærentes, nec mente
persequi nec memoria retinere valemus. Mens humana
ideas nunquam nisi per seriem persequitur, quæ ubi sub-
inde abrumpitur, hæsitat, turbatur, offenditur; vis de-
monstrandi evanescit, omnis etiam perspicuitas perit.

Experientia proh dolor! satis testatur, quam parum profint e Sacris suggestibus auditæ congeries tautologiarum, sententiarum nullo vinculo conjunctarum, saltus ab una idea, uno arguento ad aliud, & mox ad jam dicta resultus, hiatus denique nullo mentis conatu complendi. Imprimis quisque ordini in cogitando ipse adsyetus, non potest non his graviter molestari. Sed ipsa quoque plebs, quæ quidem vel adhibere ordinem in longiori sermone accuratum non novit, vel acute defectum vallet perspicere, sentit tamen perita orationis dispositione imbecilliores suum intellectum juvari, & contra, inanem se gerere stomachum, licet sibi os hians tumida spuma fuerit infarctum. Ergo adsvesfaciat se severo ordini servando S. Orator; & subinde dispiciat an illum diligenter observaverit? Nec leges methodi minus sollicite, quamvis tectius & pinguius, (ne attentionem auditorum nimis severam postulet) oratori quam philosopho observari debent: curet igitur ut principia & a quibus lucem sequentia accipiunt, præmittantur; consectaria postponantur; quo se invicem sustineant singula, & perite structa perpetua serie procurrant. Conferatur imprimis Vener. ERNESTI Init. Doctrinæ Solidioris, Dialect. Part. II. C. I. de methodo docendi & scribendi §. 141. seqq. Non tamen oratio auribus populi accommodanda, mutetur insipienter in disputationem subtilem, methodo quam vocant mathematica adornatam, ut tempore WOLFIANÆ philosophiae maxime ferventis, quidam absurde conati sunt: sed quisque officii sui consiliique muneris memor, dispicere studeat, quid cuique loco conveniat, quid instituti ratio, quid perspicacia, quid mentis intentionis qua auditores sui pollent, a se postulet.

§. III.

Deinde ordo quidam Oratori Sacro est observandus etjam

¶ 7 ¶

etiam *Rheticus*: qualis proprie orationibus convenit, ut aptam ac decentem nanciscantur formam. Observandum nempe est, nos hic loqui de *orationibus justis*, quæ e suggestu habentur Sacro, (quales hodie mos est solenniter recitare), non de piis quibusvis sermonibus aut homiliis, ad populum habitis: quare nec ad propositum nostrum pertinet de iis præcipere concionibus, sive verius disputationibus ac facrorum textuum expositionibus, quæ *Methodo* sic dicta *Analytica* compositæ sunt, (quamvis illis quidem loco suo adhibitis, pretium aut utilitatem haudquaquam denegemus) (a). Consulere igitur hic Oratorem S. oportet & in suam rem vertere, quæ de partibus orationis illarumque indole & conformatione diligenter præcipiant Rhetores: quorum monita, cum ex consilio & sacris & profanis orationibus communis, ut doceant ac moveant, h. e. perfadeant, deducta sint, ac ipsa humani animi natura longæque experientia testimonia nitantur; illi certe quam huic Oratorum generi, scitu observatuque non minus necessaria sunt. Qui itaque *Exordio* uti voluerit, quod fere usus ab iis postulat, qui in majoribus Ecclesiis, ac Urbanis præcipue, dicunt, tale adhibeat, quod homines ad reliquam orationem attente & docili animo audiendam præparet: *Propositionem*, & ubi opus fuerit *Partitionem* rite adornet; in *Confirmanda* veritate & oppositis erroribus *Refutandis* diligenter & acute versetur; in *Epilogo* denique, ad dicta poten-

(a) Ut de *Sermonibus Catecheticis* nihil dicamus, quibus simplex maxime forma optime convenit, textuum quoque solennium explicationem analyticam auditorum simpliciorum usui scite accommodatam, haud inutiliem, sed aliquando commendandam potius esse, fatemur; sed rarius fere jam, in Ecclesiis præcipue majoribus ac urbanis, mores ferunt.

potenter & efficaciter animis auditorum inculcanda totis viribus incumbat (b). De quibus singulis paullo jam accuratius præcipiendum nobis venit.

§. IV.

Exordium non ita necessariam esse Orationis partem, ut non & aliquando, re ita ferente, possit omitti, in confessio est; in S. præcipue orationibus, quarum nec consilium, nec habendarum occasio, nec argumentorum præstantia ac dignitas, auditoribus esse solent ignota. Utiliter tamen & cum fructu, si recte adornetur, adhiberi posse, æque indubium est. Proœmia enim apta orationi, ut vestibula honesta domui, decus addunt, & verba initio orationis allata, quando pondus habent, auditores mirabili desiderio etiam reliquæ audiendi, & rem propositam meditandi, afficiunt: sæpe admodum utile est, aliqua antequam ad rem ipsam venias præmonere, & ita aditum tibi ad illam persequendam, faciliorem feliciorisque munire. Scitum Exordium oratori benevolentiam quoque auditorum, fidem ac æstimationem patere valet; quod ei ad finem propositum attingendum non parum adjumenti præbet. Proœmium autem hoc, sive antecedere S. textus recitationem, (quam necessariam in omnibus S. Concionibus fecere pius mos & majorum instituta) sive subsequi debeat, Oratoris est iudicio

(b) *Narrationi*, ut parti orationis, rarus est locus in S. orationibus; nisi cum eventus aliquis memorabilis præbuerit orationi habendæ ansam, qui narrari debeat; quod non sæpe accidit. Sed incident breviores narrationes aliquando in oratione Sacra, in quibus regulæ bene narrandi servandæ sunt; eadem quas Rhetores vulgo tradunt; hic non repetendz.



cio relinquendum; quo tamen ille carere exquisito, ut aliis in rebus, ita & hic, nullo modo potest. Duplex vero adhibere initium, quod patrum nostrorum memoria pulchrum videbatur, alterum ante textum prælectum, (*parasceve* vocabant), alterum post hunc recitatum, (*Exordium* proprie dicebant), id & frustraneum foret, & multam sæpe pareret ineptam coactionem, monstroque bicipiti orationem redderet non raro similem (a). Specialius qualis esse debeat Exordiorum ratio, ut multis explicemus, opus esse hoc loco non videtur; otium nobis faciunt omnes fere Rethores. V. CICERO *de Orat.* L. II. C. 78. sq. Illi enim inter alia recte præcipiunt, ut 1:o sit ab argumento s. themate non alienum, quale omnibus communе esse possit, non e longinquo petitum, neque coactum & affectatum; sed aptum, naturale, argumento proprium. Quare peccant, qui ea dicunt in Exordio, a quibus ne conjectura quidem ulla fieri poterit, eos hoc in primis argumentum in ipsa contentionе fore tractaturos; qui duas sæpe diversi argumenti conciones in unam ita compingunt, ut altera in Exordio, altera post prælectum textum exhibeat. Nec ineptus nobis minus, licet satis communiter receptus mos videtur, in Exordio dictum S. S:æ, quod cum materia tractanda aliquam etiam cognitionem habeat, copiose, Commentatorum Biblicorum more, explicandi; & rem deinde ipsam, duce textu alio & solenni, in Contentione persequendi. Ita enim aut Exordium, hujusmodi excursui dicatum, consilio suo non respondet, aut

B

Ora-

(a) Observant fere hunc morem adhuc in suis concionibus v. g. GRADIN, HUMBLE &c. e nostratis: quorum Oratt. Sacrar. Syntagma cfr. Interdum tamen paucis verbis exponere, quam habeas e textu prælecto ansam hanc materiam præcipue enodandam eligendi, nihil vetat; nec id præcepto huic repugnat.

Orator idem in tractatione fusius, quod in proœmio brevius, satis infaceta ratione, exponit. Sed videtur hoc commodum illis esse perfugium, qui Exordium quidem sibi aliquod esse adhibendum putant, aptum vero eligere nesciunt, aut omnino totius hujus partis verum usum, adhibendæque consilium, ignorant. Quale Exordium si ne ullo potuisse damno abesse, quis non videat? 2:0 Non nimis longum adhibeat Exordium, ultra modum debitum extensem, ipsi orationi vel æquale vel etiam longius; ne monstro hæc similis evadat, capite deformi corporis modum superante: ac προλεγομένα superent λεγόμενα. 3:0 Varietati studeatur, nec una eademque semper ratio & forma in eodem adornando servetur, quod tedium & fastidium parit, pauperemque nimis oratoris facultatem, aut etiam ignaviam prodit. Mos ille receperitus, semper fere ab aliquo dicto Scripturæ Sacrae exordiendi, pro lege inviolabili haberri haudquaquam debet: ac sane dubito, an orationis indoli canveniat aptissime; nisi forte cum textu ipso dimisso, aliunde fructuosa materiæ proponendæ copiam sibi esse querendam, Orator judicat, adeoque textus loco utitur. Non levis est ars scire & apte exordiendi; quod hinc fere de reliqua facultate Oratoris, ac orationis ipsius indole, præjudicium auditores faciunt. Semper igitur ad scopum hujus præmittendæ partis, eum quem indicavimus, aciem diligenter intendat: nisi eo collineet, officio suo non satisfacit. Locos omnes Exordiorum hic indicare ac exponere, nimis longam requireret præceptionem. Remittere ergo ejus rei studiosos ad Rhetorum libros cogimur: e quibus videatur v. g. ERNESTI l. c. *Rhetor. Part. I. Sect. II. Cap. I.* qui rectissime §. 188. *Varia inquit & incerta est bene ordiendi ratio; itaque aliquid ingenii felicitati est relinquendum. Judicium modo adhibeat, ne dum ingeniosi esse velimus, frigidi ineptique simus.* Bonos probatosque Ora-

Oratores cognoscere, eorumque exemplo sapere, maxime hic prodest. Ab iis disces, cum de adminiculis boni consequendi dicturus es, in Exordio boni ipsius magnitudine exponenda, desiderium ejus excitare; cum doctrinam aliquam explicaturus es, pondere ejus demonstrando, attentos & dociles tibi auditores parare; a generalibus axiomatibus procedere ad specialem aliquam veritatem explicandam; ab oppositi mali & miseriæ descriptione, ad bonum, ac illius amplectendi felix consilium, commendandum; & sic porro. Ubi verum Exordii usum & consilium tenueris, argumenti tui indolem & vim perspexeris, & qua via ad illud considerandum animos auditorum tuorum commodissime te posse deducere ac præparare, diligenter meditatus fueris, si usū præterea & exercitatione debita non carueris; nullum tibi hæc res negotium facies.

§. V.

Propositio, pars est orationis utilissima, qua carere commode nequaquam potest. Nisi enim nobis dateat, de qua re agat Orator; quomodo illam probare, & vim argumentorum suorum sentire poterimus? Itaque si non semper *expresse*, tamen saltim *implicite* (ut ajunt,) thema quod tractaturus est, Orator auditoribus *proponeat*, ut intelligent de qua re sit dicturus, & quid velit, ac ut sequi mente ipsum, rationesque suas valeant. Imprimis necessarium est, ut in *docendo* conceptis verbis propositionem adferas: nisi confundere mentes eorum, qui audiunt, quam luce veritatis collustrare malueris. Quando consilium docentis expositum illis perspicue fuit, facilius advertere valent animum ad pondera rationum, quæ itaque sic aditum feliciorem ad persuadendum nanciscuntur. In *monendo* tectius *propositio* adesse posset;

posset; nisi mos jam receptus, auditoribus ei ad-
suetis legis fere vim obtinuisse videretur, ægerrime
violandæ. Ac quamvis Conciones Sacras, pro argumenti
sui potiore parte, recte dispesci putemus in *Didacticas*
quæ maxime in docendo, & *Paræneticas* quæ in monen-
do, hortando &c. imprimis verfantur: tamen difficulti-
me, & haud sapienter, utrumque genus ita disjungitur,
ut non illis consilia practica, his dogmata Religionis fun-
damentalia, immisceantur. Adeoque conciones S. etiam
Paræneticæ proprius fere ad formam Disputationis popu-
laris, quam ad illas orationes veterum forenses, acce-
dunt (a). Hinc quoque est, quod Propositio plerumque,
(consuetudine etiam apud nos idem jam fere exigente),
unica enuntiatione Logica, non incommodè compre-
hendi & auditoribus exhiberi possit; in suas deinde par-
tes, si res postulaverit, diducenda. Cui tamen mori, ut
se serviliter subjiciat, nemini svaserim, quoties absque
molestia ac incommoda coactione observari nequit (b).
De omni autem propositione recte præcipitur, ut sit 1:o
Breviter concepta, ut & facile mente queat percipi, &
memoria retineri; qua in re sæpe peccant multi Orato-
res Sacri. Ita multa v. g. ex hac recidi potuerint, salva-
atque etiam aucta, perspicuitate: En Christelig samvær
prøfning, antingen vi øre skryntare eller upraktige i vår
Christendom, och således antingen förfallne til det straff som
alle skryntare förestår, eller ock delaktige i den nådeløn som
alla upraktiga løsvas (c). 2:o *Clara* ut intelligatur, & 3:o *sim-
plex*:

(a) Cfr. quæ monet ERNESTI, gravis imprimis har-
rum rerum arbiter, Neue Theol. Bibliothek V. B. III.
St. s. 248 - 253.

(b) Cfr. quæ præclare de hac re monet Adm. Rev.
Dn. MÖLLER Afhandling om et rått Predikosätt, sedn. Afd.
II. Cap. §. 4. not. 2. & ERNESTI l. c.

plex: ut non intempestive affectati ingenii ineptos prodat conatus; non argutias nugatorias contineat. Itaque non placent Allegoriae, Epigrammata, studio quæsitæ Antitheses, & alia hujusmodi levia sane artificia: quorum exempla & typis editæ conciones S. singulares, & sic dictæ Postillæ, sat multa exhibent (d). Imprimis autem Dispositio-

B 3

n

(c) Adde exempla quæ habet laudatus nuper Dn. MÖLLER l. c. §. 1. not. 3.

(d) Gustui homiletico Germanorum, superioris seculi, corruptissimo, (quos turpi obsequio serviliter nostri initati sunt) hæ deliciae, vel ineptiae, debentur. Qui exempla desiderat, evolvat v. g. ADAMI l. MISANDRI Gudi helgade Sabbaths ro: ubi hujusmodi occurunt propositiones: Et undersöönt färleks- beläte; Thet Himmelska Påska biet &c. Cfr. etiam quæ habet Dn. MÖLLER l. c. §. 1. not. 5; quibus addere sexcentia alia, non minus inepta, difficile haud fuerit; ut hæc: Hielostenen med thes påskrifter och sinnebilder; En med hung' r och törst på Himmelten stormande och våldgdrande sål (1:o thema underfulla hunger och törst, 2:o then våldslidande Himmelten, som af samme hunger och törst bestormad och intagen wärder); hyrar och en Christ:n, såsom et af Gudi planteradt vinråd, (quæ figura in his septentrionalibus terris, ubi nullæ vites crescunt, imprimis sc. apta est ad rem simplicioribus vividius repræsentandam!) &c. &c. Qui his dñelectatur cupe-diis, adeat etiam nuper editum opus Dn BERGH: En Evangelie Predikares vårf, & esuriens inde haud disceder. Offendet ibi: Riset som blomstrar öfver den tilväxande ondskan; Evangelii sakta våder efter Lagsens starka storm; Fimbröd i Jesu hand (1. dageligit bröd, 2. Evangelii, 3. den Heliga Mattvardens, 4. Bedröfwelsens, 5. Ewiga Liffens); Guds huses nycklar på Christi tienares axlar; En Christen såsom en blomstrande wilmark (1:o planterad, 2:o matnad,

sitionum Homileticarum libelli, in usum S. oratorum luci publicæ traditi, iis abundant; quo genere librorum neque inutilius aliud, neque ineptius, facile reperies, cum homines artem docere alios plerunque audeant, cuius ne elementa quidem ipsi recte didicerunt, tironibus ita vehementer etiam nocentes, & verum S. Eloquentiæ gustum, quantum in se est, corruptentes (e). Quam sibi

3:o fruktbarande); En Christens tregghärda tillstånd, föreställdt under Petri tre hyddor (1:o hans tillstånd under Lagen, föreställdt under Mosis hydda, 2:o hans tillstånd under Evangelium föreställdt under Christi, 3:o hans tillstånd efter döden, föreställdt under Eliæ) &c. Qualia tamen in lucem emituntur, tironum docendorum gratia! Cfr. PONTOPPIDAN *Colleg. Pastorale Pract.* C. XXVII. p. 256. Raro nobis illæ etiam placent conciones, in quibus argumenti loco, non nisi similitudo quædam, licet etiam apta, persequenda proponitur. e. g. Synden såsom en spetselska; Christus såsom vår Rättfärdighets Sol; Dr. ogudaktige såsom et stormande haf, (vernaculo sermone exempla semper adferimus, ne ab auctorum verbis discedere cogamur). Hujusmodi imagines minime respuimus; sed aptis admisce-ri locis, quam orationibus integris explicari malumus: una tamén aut altera, ob singularem suam vim ac fœcunditatem excepta. Cfr. de hac quoque re MÖLLER l. c. Illa ratio, qua uti quosdam audias, se a Scripturæ ipsius verbis & imaginibus non discedere, cacozeliae huic defendendæ haud sufficit: quum sæpe illud ipsum a Doctore Ecclesiæ maxime requiratur, ut planis verbis tradat ac simplicioribus explicet, quod sub imagine minus familiari propositum, negotium illis facessere queat.

(e) Qui & res tenent, de quibus S. dicendum est Oratori, & præceptorum dicendi rudes plane non sunt, his sane non egent subsidiis: qui vero ista prius non di-

sibi ideam, de argumento exponendo, ex hujusmodi propositionibus formabunt auditores? Quis non videt, translucere ex iis aliud consilium, alium scopum, quam verum illum, qui S. debet esse Oratoribus unice propositus, ut animos auditorum emendent? Laudem igitur qui ex his captant nugis, verae laudis, quam querere debent, plane ignari sunt; maleque etiam industriam collocant, & a vera via aberrant, qui studiose dictum aliquod S. Scripturæ investigant allegoricum, quo Exordii loco utantur, ut sic ansam habeant commodiorem, propositionem inde formandi figuratam, ac ut sibi videretur, ingeniosam. Itaque licet 4:0 *varietati* eatenus danda sit opera, ut non una eademque forma propositionum perpetuo adhibeatur; tamen hæc cura eosque extendi haud debet, ut simplicitati & perspicuitati noceat: quæ multo majoris, quam illa varietatis gratia, sunt momenti. Porro 5:0 argumentum eligatur non nimis amplum, quo illud non modo quasi in transcursu tangi, sed plene & copiose exponi possit. Absona est multorum consuetudo, tam late patentem propositione sua complectendi materiam, ut magnam ejus partem non hac vice explicare queant, sed futuræ occasione reservare cogantur. Cur itaque tam amplam complexus es materiam? Cur non ad particulam ejus, illam cui rite tractandæ præstitutum tempus sufficit, operam tuam mox restrinxisti? Putasne adeo plene & firmiter auditores tuos posse memoriaræ infigere nunc dicta, ut etiam post annum valeant totam tractationis, tamdiu interruptæ seriem, in mente

con-

dicerunt, neque his posse juvari auxiliis, adeo certum nobis videretur, ut demonstratione rei manifestæ nulla opus esse credamus. Hortemur igitur rudes artis suæ, ut eam discant; pulvinaria vero desidiæ eorum non subternamus.

conjungere? Si vero materia nimis ampla constituta, quo nudum orationis quasi skeleton auditoribus non exhibeas, memoriae onerosum, animo ingratum, per plures horas illud persequaris; non modo legem a Principe sapienter latam turpiter migras, verum etiam tardio excitato auditorum animos abalienas & obtundis. Qui, cum orationes justo producunt longius, pium huic vitio fervorem praetexunt, ii, ista uti excusatione plerumque opus minime haberent, si tautologias inanes, & inutilia verba reciderent, vel materiae particulam eligerent, temporis quod sibi datur, spatio accommodatam, ac dicenda diligenter commentarentur secum, nec praedesidia res indigestas ex tempore blaterarent. Ac hi tamen, si qui crudas, quas apponunt dapes fastidiunt, ut verbi divini contentores eos castigare interdum non verentur! Denique sit propositio 6:o tractationi ipsi adæquata, h. e. non aliud, non plus minusve, promittat orator, quam quod deinde in ipsa contentione præstiturus est. Contra hoc præceptum peccare, adeo turpe est, ut ne admonitione quidem ulla opus esse videri queat, nisi tam frequenter illius obliscerentur, etiam qui tirones in arte haberi nolunt. Exempla quædam mox dabuntur.

§. VI.

Partitio propositionis ac materiæ tractandæ in diversa quasi membra, toties commode instituitur, quoties non simplici continetur quæstione, sed plura complectente momenta. Ac imprimis locum habet, cum id maxime est Oratori propositum, ut doceat; ubi valet tritum illud: qui bene distingvit, bene docet. *Memoria enim, cum ipsis, tum auditorum, hoc consilio juvatur, & ad rem distincte tradendam perspiciendoque utriusque ingens accedit subsidium.* Quoties autem monere, horari,

tari, consolari constituit, non æque semper necessaria
 hac ratio est; sive quoties præcipue ad excitandos pios
 affectus, consilium Oratoris tendit. Cavendum enim, ut
 nec hac in parte moris cuiusdam vulgaris retinendi caus-
 sa, quid inepte fiat. Quando autem in partes proposi-
 tio tribuenda est, 1:o illæ tot quidem adhiberi debent,
 quot ipsa res postulat, non tamen nimis multæ, ultra
 tres aut quatuor; ne magis fatigent mentem, & memo-
 riæ onerent, quam adjuvent: sufficit animo quædam
 tantum tribuisse quasi septa, quibus argumenta præci-
 pua includat; reliqua momenta ipse nexus idearum sug-
 gerere debet. 2:o Particio coacta non sit, sed facilis &
 plana: raro nisi una in eodem argumento aptissima est,
 quæ itaque sponte quasi se offert. 3:o Partes excludant
 se mutuo, non una alteram sub se comprehendat. 4:o
 Omnes simul sumtæ Propositionem exhaustant, nec etiam
 aliquid exhibeant, quod omnino illa non complectatur;
 alioquin patet, male hanc esse formatam. Hæc paucis
 indicamus, a Rhetoribus plenius exposita; ad quas re-
 gulas qui contendere exempla velit, judicare poterit: de twåggehända
 förmöner, som döden tillsyndar de trogna, näm. 1. at den
 friar dem ifrån alt ondt, 2. at den gör en ånda på all de-
 ras jämmer; Christi Mandoms annammelse, såsom et Guds
 öfversvinneliga Nådes-rågn, 1:o huru den sanima af en An-
 gel är worden förkunnad, 2:o Sjelfiva personens egenskaper,
 som mandomen anamma skulle, och sätter ther till; Guds sätt
 at straffa syndare, 1:o huru Gud straffar, 2:o huru straffet
 häst kan undvikas. (Cfr. etiam MÖLLER I. c. §. 1. not. 6.
 & §. 4. n. 5.) Denique 5:o non una semper forma
 dividendi adhibeat, quæ aut nimiam in Oratore ingenii
 sterilitatem prodit, aut ignaviam turpem. *Subdivisio-*
næ expressæ, rarius cum orationis convenient indole;
ac imprimis affectibus movendis plurimum obstant; for-

mam etiam operi nimis subtilem, jejunamque addunt,
 copiæ ac Eloquentiæ veræ adversam. Mihi quasi dicta-
 re velle in calamum auditoribus Disputationes suas, qui
 nimis omnia partite dicunt, videntur: aut de memoria
 attentioneque illorum justo plus sperare; cor autem ut
 tangant, aut sensum aliquem moveant, plane nihil cura-
 re. Alia res est, cum catecheticam pro scopo habent
 elementorum Religionis instillandam mentibus notitiam:
 Pædagogi potius, quam Oratoris fungentes munere; de
 quo jam non agimus. Sed Schema tamen totius ora-
 tionis tibi ipsi formare, & animo, dum illam elabores,
 quasi descriptum habere, utilissimum est, & ad ordinem
 accurate servandum potentissimum: quod tamen audito-
 ribus etiam proponere, & ita vim dicendi imprudenter
 frangere, ineptum valde fuerit consilium.

